

# **Die Traditionen des Hochstifts Freising (Ed. Bitterauf), Nr. 184**

Resedentibus missis domni Karoli magni imperatoris Arnone videlicet archiepiscopo et Adaluuino coepiscopo ipsius una cum Orendilo iudice in loco publico Frisinga ad examinandas cum iustitia multorum advenientium causas ibique adveniens de presente advocatus Attonis episcopi nomine Lantfrid interpellabat alium quendam hominem similiter nuncupatum Lanfridum filium Irminfridi cuiusdam nobilis iuri dicens, quod iniuste possideret rés sancti Petri de monasterio Slechdorf dicto quas praedictus Irminfrid potestativo iure tradidit ad ipsum monasterium pro salute animae sua loca nuncupata Scarancia cum appenditiis suis in Fluriningun; in Pollingun, in Slechdorf, in Houaheim, in Sindolfesdorf, in Gisingun, in Pasingun, Grefol- uingun quae omnia tradidit Irminfrid pater eius deo et sancto Petro ad ipsum iam dictum monasterium temporibus domni Pipini regis et Tassiloni ducis eorum consensu. Tunc ipse Lanfridus praesens adstabat et hoc excusare nequaquam praevalens, quia ipsi missi praedicti hoc ita factum esse diligentissime inquirentes per fideles et veraces homines invenerunt ea ratione firmissima, ut si ipse Irminfrid legitimos heredes filios procreasset, ipsi filii sui secundum legem inde haberent suam portionem et portio Irminfridi ad ipsum monasterium stabilis esset. Super hoc autem contentiose agens ipse iam sepe dictus Lanfrid temptabat medietatem ipsius altaris de Scarantia ad opus suum exquirere. Tunc ipsi missi una cum his qui in ipso placito adfuerunt prae cogitantes stultitiam eius, ut etiam sine gravi damno evaderet in mercedem sanctae dei ecclesiae et domni imperatoris rogantes ipsum venerabilem Attonem episcopum complacitaverunt ei, ut licuisset ei sine compositione legitima rés praedictas sanctae ecclesiae sana manu etiam sine compositione emunitatis regis et sine debito regali reddere. Eo vero tenore hoc factum esset, ut nunquam amplius quicquam repeteret de ipsa iam dicta ecclesia nihilque de praedictis rebus sibi amplius vindicaret. Et hoc ita coram testibus firmatum et adscriptum est quorum nomina subtertenantur inserta. Actum in Frisingas loco publico die consule II. non. aug. anno secundo imperii domni Karoli serenissimi augusti inductione X. Et hi testes per aures tracti eiusdem complacitationis per manus Ellannodi archipresbiteri: Kaganhart et Lanfrid advocati ipsius episcopi Attonis. Orendil iudex. Toto. Helmuni. Uuolfperht. Cotehelm. Immo. Erlapald. Reginperht. Rihpald. Liutprant. Reginhart comes. Eodunc. Suamperht. Herirac. Crimuni. Seliker. Lantperht. Folcrat. Perahart. Huusuuart. Ego Horskeo indignus presbiter scripsi ex ore Adalperhti. Et ego Adalperht indignus subscrispi et confirmavi.